



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Artic. II. An duo poßint simul unum bap[t]izare?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

ARTICULUS II.

An duo possint simul unum baptizare?

Resp. I. Si alter applicet materiam, alter formam, nullus erit Baptismus: quia dicens se ablueret, cum non abluat, formam habet falsam, etiam si usurpet Græcorum, *baptizetur servus Christi*, vel quæ putatur illi æquivalere, *baptizet te Christus*, subintelligitur enim, *per me*; alioqui si excludatur persona Ministri, ut sensus sit, *baptizet te Christus*, & non ego, sive non per me, forma nulla est. In casu tamen necessitatis, posse sub conditione ita Baptismum conferri, ut v. g. mutus formam nesciens ablueret, cæcus autem formam pronunciaret, docet *Hurt. d. 2. dis. 6.* additque debere talem elapso periculo, iterum sub conditione baptizari. *v. Escob. Fill. cap. 4. Dian. p. 3. t. 3. R. 26. ex Chapeavill. Marsil. & c. Bon. d. 2. q. 2. p. 4. n. 2; Laym. c. 7.*

Resp. II. Si plures ministri singuli abluant, & formam pronuncient, graviter peccant contra ritum Ecclesiæ. De valore sic solet distingui: Si quilibet intendit baptizare, dependenter ab alio, ut causa particularis, invalidè baptizant, sive singuli dicant, *Ego te baptizo*, sive, *Nos te baptizamus*: quia forma, cujus sensus censetur esse, absolute & independenter baptizare, non cobaptizare, est falsa. 2. Si quis per se intendat baptizare, independenter ab alio, validè baptizat: quia omnia

requisita ponit. Ut patet à simili in missa ordina-
tionis, quâ Sacerdotes noviter ordinati simul con-
secrant cum Episcopo, dummodo simul eodem
instanti formam absolvant: si autem non simul
absolvant, is tantum consecrat, vel baptizat, qui
prius absolvit. *v. Fill. t. 2. cap. 4. n. 72. & Bon. l. c. a.
23. Laym. c. 7.*

D U B I U M IV.

Quod sit Subiectum Baptismi?

Resp. I. Subiectum capax Baptismi, est solus
homo vivus, ab Adamo descendens, nondum ba-
ptizatus.

Resp. II. Validè baptizantur infantes, item pe-
petuò amentes, qui nunquam usi sunt ratione
quia censentur ejusdem conditionis cum infanti-
bus. Si autem aliquando sint usi ratione, non valet
Baptismus, nisi ante amentiam petiverint,
*v. Bonac. d. 2. q. 2. p. 6. Laym. cap. 6. Unde resob-
ves.*

I. Si puer inter baptizandum, nondum finita
forma, moriatur, Baptismus est nullus.

II. Non valet Baptismus iteratus, ideoque u-
terque, tum rebaptizans, tum rebaptizatus, pec-
cant mortaliter, fiuntque irregulares, & in jure ci-
vili subjacent pœnæ mortis. Quas tamen pœ-
nas non videtur incurrere is, qui etsi sine iusta
causa rebaptizat sub conditione: quia intelligitur
de Baptismo absolutè dato, quando moraliter
constat, priorem Baptismum fuisse validum. *v. d.
Lay. c. 5. Bon. p. 5.*